



HISTORIA ANATOMICA.

Vain admirabilis sit structura Renum, quantam solertiam Natura impenderit in Fabricâ eorum, tum ex scriptis Anatomicorum passim liquet, inter quorum Principes meritò quidem hac ex parte statuimus Medicum Prusiiæ clarissimum, JOH. LOESELIUM, tum ex Autopsiâ imprimis est petendum.

Sive enim Parenchyma illorum consideres & vasa, peculiare prorsus id, & bicolor intus est, venulisq; & arteriolis quamplurimis, non minus, ac ipsa Epatis, Lienis, Pulmonum, dicam & Cerebri substantia intertextum, ut debitus ipsis hoc pacto influat alimenti gurses, vel abundantior ad Cor redundet.

Sive connexas in sinu eorum carunculas verrucosas & veluti papillares adspicias, gratâ candoris specie albantes etiam ex his argui potest insignis quædam Naturæ sapientia, quandoquidem hæc glandulas illas sive pro evacuandâ segreganda quæ ex sanguine colluvie serosâ, sive pro stabiendis Renum camenis & distinctis ibidem laterum, veluti tubulorum ab Ureteribus productorum divaricationibus effinxit, ut commodius hoc pacto ab his tanquam ex pelvi quâdam, infernè per aperturam veluti per infundibulum, indeque per Ureteres, tanquam Tubulos quosdam ac Aqvæ ductus, in Vesicam non secus atque in lebetem aliquem aut foveam, serosus Massæ sanguineæ latex, veluti liquor, destillantis Aqvæ, derivetur, & commodè postea per meatum Urinarium, tanquam per appendicem, aut caniculum, sed recluso prius ad arbitrium Sphinctere, velut Epistomio, emittatur. Ut alia huc spectantia non attingam, quæ summam quemadmodum Naturæ Architectricis soleritatem, sic Directoris ipsius DEI Benignitatem & inexhaustum Providentiaz Oceanum, in ingeniosâ istiusmodi Renum, veluti Fontis alicujus aut Hydropægnij, fabricâ attestantur.

*Renum Fabrica
ca admirabilis.*

*Hydropagnio
comparatur.*

Eorum-